





22

*Pr. 24. num. 9.*

*228*

CHRISTIANI WILDVOGELII, Icti,  
SERENISSIMI DVCIS SAXO-ISENACENSIS CON-  
SILIARII STATUS INTIMI, CVRIAE PROVINCIALIS ET  
SCABINATVS NEC NON FACVLTATIS IVRI-  
DICAЕ ASSESSORIS,

28

COMMENTATIO IVRIDICA

DE

I V R E

*1703, 23<sup>le</sup>*

GEMELLORVM,

Vom

Rechte der Swillinge.

*P. 231.*




I E N A E,  
LITTERIS IOH. CHRISTOPH. CROEKERI,  
1741.



CHRISTIAN WILDOEGELI  
PREFESSEUR DER RECHTSWISSENSCHAFTEN  
AN DER UNIVERSITÄT ZÜRICH  
SCHWEIZERLAND

COMMENTARIO IURIDICO  
DE  
I V R E  
GEMELLORVM

Städt. dt. Büchling



LEIPZIG  
VERLAG VON GRIFFITHS





L N L

DE

# IVRE GEMELLORVM.

CAPVT I.

*Exhibens*

## NOMINIS EXPLICATIONEM, DESCRIPTIONEM ET DIVISIONEM.

§. I.



diutorio sacrosanctae Triados, ex lege Methodi haud insueta, praeliminarium enodationem, antequam ad substantialia perueniamus, praemittere non videtur incongruum; licet enim potior rerum, *arg. l. 3. §. 2. ff. de adim. & transfer. leg. prior tamen*

verborum ratio haberi debet, *arg. l. 1. ff. de iust. & iur. l. 1. §. 1. ff. de pact. verba namque rebus, non res verbis inferuiunt, c. u. c. 22. q. 5. quoniam intelligentia rerum*

A 2

a ver-

a verborum intellectu pendet. GELL. *l. 3. c. 10.* Hinc ut moribus nostrae aetatis aliqua ex parte satisfiat, in limine dissertationis nostrae, quae extrinsecus occurrunt, monebimus.

§. II. Dum inspicio rubricam, principio sese offert vocabulum *Iuris*, in cuius evolutione multum operae laborisque ponere vel immorari non allubescit, nec instituti nostri ratio permittit, de variis illius vocis conceptibus, qui in hoc vocabulo latent, admodum esse anxium, vid. *l. 11. & 12. ff. de Inst. & iur.* Sufficit in praesentiarum addidisse, *iuris* nobis in discursu nostro idem denotare ac id, quod in iure de gemellis disponitur, seu quod circa gemellos iustum & iniustum est.

§. III. Merito auspicamur ab Etymo, vnde scilicet vox *Gemellorum* descendat, iuxta praescriptum VLPIANI in *l. 1. pr. ff. de Inst. & iur. l. 1. ff. de reb. dub.* Et quidem, si originem ex sedibus suis eruere velimus, fatendum, vocabulum hoc deriuari a voce *Geminus*, cuius deminutiui formam constituunt *Gemelli*. *Geminus* vero, prout BECMANNYS putat, origine Grammatica ex Hebraeo  $\text{גִּמְנוֹן}$  & vocabulo graeco *αἶμα* componitur, quod est aduerbium temporis & idem ac *una cum*, *simul cum*, vel *eodem tempore* exprimit; nuda tamen diuinatione ob additam dubitandi particulam *fortassis*, ab hac opinione recedere videtur celeberrimus VOSSIVS in excellenti suo opere Etymologico, vbi ab antiquo verbo *gēno*, pro *gigno*, originem deriuare enititur, ut ita *geminus*, dicatur quasi *genimus*, sicuti Graecis γένιμος a γένω dicitur.

§. IV. Ety-

§. IV. Etymologiam excipit Homonymia, errorum mater foecundissima, nisi diligens eius evolutio sequatur; non vnam vero semper aut eandem offendimus significationem: nonnunquam enim designat id, quod *duplicatum* est; quare a GALENO testiculi, qui alias *δῆξι* appellari solent, gemellorum vocabulo, tanquam honoratiore veniunt, & *διδυμοι* vocantur, vid. SOLIN. *Polybistor. c. 13.* AMMIAN. *l. 16.* Eodem modo PAVLVS in *l. 22. §. 1. ff. ad L. Aquil.* gemellos vocat par iumentorum, videlicet mulorum aut equorum, quod nobis *ein Paar* audit: interdum admittit praedicari de signo coelesti, quod in Zodiaco apparet, lucidissimis scilicet duabus stellis istius asterismi, qui vulgo Castor & Pollux audit, eoque a veteribus poëtis *διδυμοι* dictae sunt. PLINIVS *Histor. Natur. lib. 18. cap. 29.* ob simillimam gemellorum effigiem: sed pro ratione instituti mei in natiua sua significatione vocem hanc considero, quatenus Gemelli denotant partus simul ab vna matre editos.

§. V. Denique *gemini, pares, similes, aequales* sunt Gemellorum synonyma & vnum idemque ferme denotant, prout videre licet apud VARRON. *lib. 9. pag. 226. de lingu. lat.* Qui plura habent eadem cum aliis, dicuntur *similiores*, qui vero proxime accedunt ad alia & omnia cum illis habent communia, dicuntur recte *simillimi*; Etsi vero vocabulum *geminus* eandem cum gemellis habeat significationem, attamen circa hanc vocem notari meretur, de qualibet ferme re eam praedicari & communiter idem denotare, quod *duplex*, hinc *gemina suspicio* i. e. duplex, habetur in *l. 9. C. de Mathemat. §. malef.* *gemini trames*

mites in *l. 22. §. 14. C. de iur. delib.* geminum facinus  
*l. 4. C. de sepulch. viol.* gemina arbor; *l. 10. ff. furt. caes.*  
 quandoque etiam idem significat, quod *simile* aut *par*,  
 quo sensu CICERO *pro Rosc.* inquit: *par est auaritia,*  
*similis improbitas, eadem impudicitia, gemina audacia.* Idem  
 porro est nomen proprium praefidis aut proconsulis,  
 ad quem Diuus PIUS rescripsit in *l. 6. ff. ad L. Int.*  
*de vi publ.* Speciatim vero denotat duos vno partu  
 natos & sic cum gemellis nostris conuenit: quo per-  
 tinent CICERONIS verba *pro Quint. Gaius & Lucius*  
*Fabricii fratres gemini fuerunt;* Dicitur tamen etiam  
*gemina soror* pro ea, quae est vterina, referente CAL-  
 VINO in *Lexic. Iurid. verb. gemini.* Germanis talis partus  
 exprimitur per vocabulum *Zwillinge*, quasi *Zweylinge*,  
 quod duo sint.

§. VI. Missis nominibus, quorum prior ha-  
 benda erat ratio, ad rem ipsam merito nos accingi-  
 mus, vt statim intelligatur, quid sit id, de quo dispu-  
 tatur: atque ita Gemellos definire allubescit, quod  
 sint *partus animalium, qui ex vno utero & vno die simul*  
*nati sunt*, siue duo siue plures. SERVIUS *ad lib. XI.*  
*Aeneid.* ISIDOR. *lib. IX. cap. 5.*

§. VII. Quemadmodum in modo data defi-  
 nitione diximus, quod Gemelli sint, qui ex vno  
 utero & vno die simul fuerint editi, ita verba haud  
 obscure indicant, ad gemellorum constitutionem  
 requiri, vt vnā habeant matrem, i. e. vt ex vno  
 utero prodeant, nec non vno die, id est vno gene-  
 rationis tempore, quamuis non aequo ipso die, quo  
 alteruter gemellorum fuit editus; teste enim expe-  
 rientia constat, edito vno, alterum saepius post duos,  
 imo plures aliquando dies demum prouenire.

§. VIII.



§. VIII. Neque huic sententiae refragari potest  
 vocula *simul* in definitione apposita; nec res tam  
 aperte absurda: satis enim superque notum est,  
 τὸ *simul* non denotare semper τὰυτὸ τὸ ἐνερῶς, cum  
 iuxta Tryphonini effatum in *l. 15. ff. de statu hom.* na-  
 tura non permiserit, simul vno impetu duos infan-  
 tes de vtero matris excedere; sed dici saepissime,  
 cum tempora sunt proxima nec interrupta, imo se-  
 cundum subiectam materiam diuersa; ita opera duo  
*simul* locata dicuntur ab vno & eodem homine di-  
 uersis tamen temporibus. *l. 26. ff. de locat. conduct.*  
 atque testes *simul* signant instrumentum, quamuis  
 non vno eodemque momento, actu tamen conti-  
 nuo. *l. 21. C. de testam. l. 1. §. 6. ff. de bon. possess. secundum*  
*tabb. j. l. 16. §. 8. de pign.* atque in *l. 34. ff. ad Sc. Trebell.*  
 de duobus fratribus ruina vel naufragio *simul* mortuis  
 quaeritur, quis prius, quis posterius mortem obierit?  
 sic *simul* significat communionem temporis, & quae  
 proxima sunt, vel proxime fiunt, etsi non eodem  
 momento, coniungit. vid. *cap. 1. de consuet. in 6to.*  
 STRAVCH. *Lexic. particular. in verb. simul.*

§. IX. Proxime insequitur diuisio, ad naturam  
 rei cuiusque demonstrandam imprimis conducens;  
 diuiduntur autem Gemelli ita, vt alii sint irrationa-  
 les, puta bruta animantia, quae saepius duplicato  
 foetu prodeunt & dominum suum exhilarant, de  
 quibus VIRGILIUS:

*modo namque gemellos.*

*spem gregis.*

Alii rationales, homines scilicet anima rationali prae-  
 diti. Atque non minus inter gemellorum censum  
 reputamus *bicipites*, quamuis alia membra non sint  
 condu-

conduplicata, dummodo extra dubitationis sphaeram ponamus, vtrumque eorum caput proprium atque duas animas rationales in distinctis & quasi separatis corporibus habere, ZACH. lib. 7. *quaest. medic. legal. tit. 1. qu. 5.* ALPH. a CARANZ. *de part. legit. 17. num. 95.* ita vt connexio membrorum communem successionis ordinem in *Nou. uis. cap. 1.* impedire vix possit, cum duplex sint persona gemelli, iuxta *l. 15. § 16. ff. de stat. hom.* nisi vnum caput alteri tantum ceu rudis quaedam carnea moles adhaereat.

§. X. Porro diuidimus Gemellos, quod alii sint simpliciter tales, alii *Tergemini* siue triplicati, imo quandoque etiam *quadrigemini* & plures. Quamuis enim vox gemellorum regulariter duplicatum saltem foetum denotet; haud tamen excludit partum numerosiorem: adeoque ea, quae de gemellis dicuntur, optima ratione ad tergeminos quoque extendi possunt. *l. 3. ff. si pars hered. pet.* vt hinc superuacaneum sit, de his peculiarem tractationem instituire: nec facit, quod numero discrepent, cum nobis sufficere possit, in forma & modo nascendi cum gemellis conuenire.

§. XI. In nostris equidem terris Tergeminarum pauca, partus numerosioris nullum extare exemplum, negari nequit, vt superuacua videri possit tractatio, cum iura ferri oporteat, de his, quae *ἐπι τὸ πλεῖστον*, i. e. vt plurimum accidunt, non quae *ἐκ παραλόγου*, i. e. exopinato *l. 3. ff. de legib.* & ad ea potius debeat aptari ius, quae & frequenter & facile, quam quae perraro eueniunt, iuxta *l. 5. eod.* quod enim semel aut bis existit, legislatores praetereunt. *l. 3. ff. si pars hered. pet.* imo nonnulli partum, qui  
vnicus

unicus non sit, contra naturam esse asseuerant; verum enim vero ideo iura tam generaliter feruntur, vt Magistratus vel iudex, si quando casus rarior oblatu fuerit, leges generatim latas applicare possit, *l. 12. ff. de legib.* neque enim leges, neque SCra ita scribi possunt, vt omnes casus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, sed sufficit ea, quae plerumque accidunt, contineri. *l. 10. eod.*

§. XII. Neque tam multa atque varia multiplicis parturitionis exempla generali propositione fabulosis annumeres, in regionibus maxime foetiferis, velut Aegypto, vbi frequentiores sunt multiparae, a fertili solo & maiore mulierum virtute, fide SOLINI, Trogus, iniquentis, auctor affirmat in Aegypto septenos vno vtero simul gigni: quod ibi minus mirum, cum foetifeto potu Nilus non tantum terrarum, sed & hominum foecundet arua. vid. ARISTOT. *l. 7. de hist. animal. cap. 4.* PETR. GARCIAS *disp. 72. c. 3. n. 11. in fin.* PLINIUS *cap. 3.* adiciens, Nilum potatum ita esse foetiferum. PAVLVS in *l. notissima 3. ff. si pars hered. pet.* meminit non leues auctores tradidisse, quatuor puellas a matrefamilias natas esse, & quinquies quaternos aliquam Peloponnesi enixam, multas Aegypti vno vtero septenos; Trigemini HORATII apud Romanos totidemque CVRIATII apud Albanos extitere. *d. l.* Imo idem PAVLVS auctore LAELIO ICTO scribit, se vidisse in palatio mulierem liberam, quae ab Alexandria perducta, vt Hadriano ostenderetur, cum quinque liberis, ex quibus quatuor eodem tempore enixa, quintum post diem quadragimum; Id quod etiam *l. 7. pr. ff. de reb. dub.* confirmatur. Sed & tergeminos fenatores cinctos vidimus

B

dimus

dimus Horatios. LIV. lib. 1. decad. 1. PLIN. nat. hiflor. l. 7. c. 3. Quin l. 36. ff. de folution. auctoritate Aristotelis etiam quinque nafci poffe, dicitur. Quidquid tamen fit nonnifi tergeminarum ratio habetur in iure ciuili, ita, vt fi quis vxorem reliquerit praegnantem, & filium habeat fuperfitem, quarta tantum pars eidem affignetur, cum fieri poffit, vt tergemini nafcantur. l. 3. ff. fi pars hered. pet. & l. 7. pr. ff. de reb. dub.

§. XIII. Celebre illud puerperium Margarethae, Hollandiae Comitissae vxoris, apponere placuit. Accidit illud sub Henrico Imperatore, cum dicta Comitiffa vna parturitione 365. liberos viuos eniteretur. Huius memorandi portenti totam hiftoriam in tabula marmorea extantem adfcripsit DALNER. de iure hom. p. 7. n. 22. In fronte namque Epitaphii fcriptum erat maiusculis literis:

*En tibi monftrofum nimis & memorabile factum  
Quale nec a mundi conditione datum.*

Inscriptionem fequebatur hiftoria hisce verbis: Margaretha Hermanni comitis Hennebergiae vxor, Quarti Florentii comitis Hollandiae & Selandiae filia, Guilielmi Regis Romanorum ac postea Caefaris seu Gubernatoris Imperii atque Alitbeiae comitis Hannouiae soror cuius patruus Epifcopus Traiectenfis, auunculi autem filius Dux Brabantiae & comes Thuringiae, &c. Haec autem illustriffima comitiffa annos 40. circiter nata, ipfo die Parasceues nonam circiter horam, anno millesimo ducentiffimo feptuagesimo sexto 365. enixa est liberos, qui prius a Guidone fuffraganeo Traiectenfi, omnes in duabus ex aere peluibus baptizati funt, quorum mafculi quotquot erant, IOHANNES, puellae autem omnes, ELISABETHAE, vocatae funt, qui fimul omnes cum matre, vno eodemque die fati

fatis concesserunt, atque in hoc Laudunensi templo iacent sepulti. Quod quidem accidit, ob pauperulam quandam foeminam, quae ex vno partu gemellos in vtris gestabat pueros, quam rem ipsa admirata Comitissa, dicebat, id per vnum virum fieri non posse ipsamque contumetiose reiecit. Vnde haec pauperula animo perturbata ac percussa, mox tantum prolium numerum ac multitudinem ex vno partu imprecabatur, quot vel totius anni dies numerentur. Quod quidem praeter naturae cursum obstupenda quadam ratione ita est factum, sicut in hac tabula in perpetuam huius rei memoriam, ex vetustis, tam manuscriptis, quam typis excusis chronicis breuiter positum & enarratum est. Deus ille ter Max. hac de re suspiciendus, honorandus ac laudibus extollendus in sempiterna secula. Amen. Licet HARSDOERFFERVS im grossen Schau-Platz Lust- und Lehr-reicher Geschichte potius commentum otiosorum monachorum id esse velit. IOANNES AVENTINVS lib. 7. Ann. mulierem narrat sub Friderico II. Imp. mille quingentos ac quatuordecim foetus enixam esse. Quod tamen non minus dubium est, quam historia comitissae Margarethae. Plura exempla suppeditat PAVLVS ZACHIAS quae est. medico-legal. tit. XI. num. 6. PLINIVS histor. nat. lib. 7. cap. 11. PETRVS SCHVLZIVS de Polypaedia cap. 1. §. 24. atque alii.

## CAPVT II.

DE

AFFECTIONIBVS GEMELLORVM  
TAM NATVRALIBVS QVAM  
CIVILIBVS.

§. I.

**R**em quidem, quae a Ictorum scholis aliena est, aggredior; nihilominus cum gemellorum iura

B 2

exami-

examinari nequeant, nisi prius de eorum affectionibus pateat, hasce praemittere necesse erit. De causis igitur & ortu gemellorum variae sunt sententiae. Sunt, qui putant, multiplicis foetus causam esse superfoetationem, e quorum numero est AEMYLIUS PARISANVS *lib. 2. de Nobil. exerc. c. 8. ex. 1.* Sed contrarium a Physicis iam satis est declaratum, & quidem auctoritate HIPPOCRATIS in *libro de natur. pueror. num. 44. & seqq.* qui eadem in geminis esse conceptionis momenta tradit; Geminationem igitur partus ex vno tantum maris ac foeminae congressu fieri, euincit PETR. GARCIA *disp. 72. c. 2. de loc. affect.* FERNEL. *lib. 7. de part. nat. c. 2.* & latius PAUL. ZACH. *quaest. medico-legal. l. 1. tit. 3. qu. 3. n. 12. & seqq.* Quare etiam AVGVSTINVS *l. 5. de Ciuit. Dei c. 6.* ait: *nunquid & in conceptu, vbi vnum concubitum esse manifestum est, & tanta naturae vis est, vt cum conceperit foemina, deinde alterum concipere omnino non possit.* Testantur etiam sacrae literae *Geneseos cap. 38.* quod Thamar ex Iuda socero geminos ex vno concubitu conceptos fuerit enixa. Quantitatem autem vel excellentiam seminis multiplicis partus causam esse, tradunt PETR. GARCIA *disp. 72. cap. 3. n. 8. & 9.* GOTHOF. *ad l. 36. ff. de solut. maxime si qualitas seminis cum abundantia concurrat.* BONAVENTVRA *l. 3. de octomestr. pars. c. 86.*

§. II. Quoties igitur semen in partes scinditur, vt duo vel plures exinde oriantur conceptus, mater habebit vtrosque pueros, vt plurimum in vna pellucula, propriis tamen vasis vmbilicalibus donatos, auctoritate HIPPOCRATIS in *libro de superf.* Alioquin marem ad partum vsque dextra, foeminam vero sinistra contineri, ex eodem Hippocrate notauit

PETRVS

PETRVS GARCIAS *d. disp. 72. c. 3. n. 8.* Caeterum de Gemellorum statu in vtero vid. HARSDOERFFER im *Schau=Platz Lehr=reicher Geschichte tit. 142. num. 12.* & scriptores, qui de obstetricantibus egerunt, quae tamen disceptanda medicis relinquimus.

§. III. Pueris ita incrementibus, vt mater sufficiens alimentum suppeditare iis amplius non valeat, natura peculiarem exeundi impetum tribuit, ita vt vnus post alterum lucem aspiciat. Sed illud maxime disquiritur, quis nam ex duobus vno concubitu conceptis prior aut posterior secundum naturae ordinem natus esse dicatur? Plures sunt, qui posterius conceptum primum ex vtero exire dicunt, friuola vtentes ratione, argumento sumto a sacco, diuersis rebus onusto, atque posterius conceptum ostium vteri ita obserare dicunt, vt primo loco exire oporteat, quod vltimo loco est ingestum. PAVLVVS ZACH. *quaest. medico-legal. lib. 9. tit. 12. qu. 2.* Hinc etiam Hispanorum mores, teste ZEILERO, in *Itinerario Hisp. p. 69.* vltimo natum, tanquam prius conceptum haberi volunt pro primogenito, cum per temporis prioritatem ratione conceptionis sibi id acquisuerit, quod primogenito debetur: haud secus ac in lapidum fodinis lapis vltimo effossus prior censetur esse concretus.

§. IV. Verum haec opinio, licet vulgaris sit, contrariatur tamen naturae; supra enim adsertum fuit, gemellos ex vno eodemque coitu gigni. Prout autem semen in partes diuisum fortius est, mulier citius concipit, ac si debilius fuerit, constans vero Medicorum est adsertum, foetus quo fortior sit, eo citius eum in lucem egredi, cum & is, qui prior con-

ceptus augetur indies melius formetur & in membra maius robur adquirant. Tales autem a maiori calore sine dubio regi, unde celerius non solum formentur, sed etiam eo celeriori cum motu egrediantur, prout singula haec latius deducit PAVL. ZACH. *lib. 9. tit. 12. quaeft. 3.*

§. V. Ad qualitates gemellorum naturales similitudo fidei quoque refertur, quam quidem ex eodem maxime temperamento procedere, nullum est dubium, iuxta HIPPOCRAT. in *libro de diaeta*. Tanta enim contemporaneae conceptionis habetur vis, vt natura ad suscipiendam magis hanc, quam illam formam determinetur. ALPH. a CARANZ. *de part. legit. cap. 18. n. 46.* Miram omnino hanc naturae operam insigne fratrum geminorum, *Medardi* puta & *Gerardi*, exemplum exhibet, quos sibi adeo extitisse similes perhibent, vt non solum eodem die vitam ingressi, sed & eodem tempore ad summum honoris fastigium fuerint euecti, &, ne quid ad paritatem deesset, eodem die mortem cum vita commutarint, referente BAPTISTA FVLGOSO in opere de dictis factisque memorabilibus; animis etiam ita concordantes, vt Hippocliidi & Polystrato animi & morum paritate anteferrantur. Neque id nudis adscribendum accidentibus, cum ex natura intrinseca proueniat, vt duo non solum speciei, sed & in externis delineationibus & faciei praecipue effigie eandem κατὰ πλείστον referant similitudinem, vnde cum duos viros inter se maxime conuenire videmus, eos gemellos appellamus, iuxta HORAT. *Epist. l. 1. ad Fuscum.*

*Hac in re scilicet vna  
Multum dissimiles, ad coetera pene gemelli.*

Quamuis



Quamuis vero natura non impedita ob vim semini inlitam, geminam prolem sibimet assimulare asuescat, non tamen haec sola sufficit ad obtinendam fraternitatis victoriam, nisi alio adminiculo adiuuetur; ita enim dantur exempla quam plurima natorum, qui sibi de facie similes, a diuersis tamen parentibus orti. Exemplum ex fabulis gentium de Hercule & Iphicle, quorum alter Ioui, alter vero Amphitruoni similis natus esse dicitur; Aliud in Autolico & Philammone, quorum alter Mercurii, alter Apollinis effigiem referebat. Plura habemus apud SCHENCKIVM *lib. 4. Obseru. tit. de superfoet.*

§. VI. Haec porro similitudo non solum in effigie, sed & affectuum paritate & morum conformitate est conspicua. Facit haec, quam saepe videmus, conformitas, quo minus in dubium vocemus Physicorum tradita, gemellos subinde simul aegrotare, cum tanta sit naturae virtus, vt idem facile possit operari. Hanc autem stellarum influxibus & constellationi, quae dicitur, sunt, qui attribuunt, sed perperam. Quod si enim vel maxime operationes astrorum in corpora & ingenia humana concedamus, gemelli tamen non vno statim momento & sub vno horoscopo nascuntur, sed per interstitium saepe aliquot horarum, & nonnunquam non vna constellatione fatali, alter concipitur masculus, alter foemina. AVGVST. *lib. 5. de Ciu. Dei cap. 2.* HIPPOCRATES ergo *lib. 1. de Diacna* tam peculiaris similitudinis causam non aliam esse dicit, quam quod ex eodem semine concepti, eodem sanguine nutriti, ac iisdem locis foti, imo simillimum nacti fuerint temperamentum. Neque aliam ob causam fieri dicunt, quam

quam ob temperamentorum conuenientiam ac similitudinem, vt foeminae matribus, mares vt plurimum patribus similes nascantur. ARISTOTEL. 7. de *hisor. animal. cap. 5.* GRATIANVS *discept. forens. cap. 567. n. 56.* ALPH. a CARANZ. de *part. legit. c. 18. n. 46.*

§. VII. Naturae vero cursum saepius ex accidenti interuerti, experientia abunde docet. Sicuti enim ex accidenti fit, vt aliquid interdum deficiat vel abundet, ita nonnumquam euenit, vt contra communem naturae ordinem geminatus partus non raro voluntate, affectibus, moribus aliisque plane sit dissimilis. Exemplum habemus in Esau & Iacobo, quos Paulus vno concubitu conceptos esse docet, licet non vna vtriusque vitae qualitas fuerit. Genes. 25. vers. 27. AVGVST. d. *lib. cap. 4.* Nati sunt, inquit, duo gemini antiqua patrum memoria, vt de insignibus loquar, sic alter post alterum, vt posterior plantam prioris teneret. Tanta in eorum vita fuerunt moribusque diuersa: tanta in actibus disparilitas, tanta in parentum amore dissimilitudo, vt etiam inimicos eos inter se faceret ipsa distantia. Numquid hoc dicitur, quia vno ambulante alius sedebat: & alio dormiente alius vigilabat: alio loquente alius tacebat: quae pertinent ad illas minutias, quae non possunt ab eis comprehendendi, qui constitutioni siderum, qua quisque nascatur, adscribunt, vnde Mathematici consulantur. Vnus ducit mercenariam seruitutem, alius non seruiuit: vnus a matre diligebatur, alius non diligebatur: vnus honorem, qui magnus apud eos habebatur, amisit, alter adeptus est. Quid de vxoribus, quid de filiis, quid de rebus, quanta diuersitas? Mentionem quoque facit Augustinus geminorum diuersi sexus, quos praeter actus ratione geminorum diuersos, instituto & proposito vitae adeo scribit extitisse dispares,

disparis, vt masculus coniugatus, haec sacra virgo: ille numerosam prolem procreauerit, haec nec nupserit, incredibilis sane nisi munera Dei pectore agitemus, a cuius voluntate, nutu atque imperio omnia dependent.

§. VIII. A statu & affectione naturali pergimus ad ciuilem gemellorum statum, eumque vel dubium, vel ad verbum. Contingit enim nonnunquam, vt ex geminis vel terginis, quis prior natus esse censetur? dubitetur; praescribunt ergo iura vel consuetudo certa criteria & notas, e quibus de primogenitura erit iudicandum. Quoties igitur praeventio alterius ex gemellis in nascendo est manifesta, nullum exsurget dubium, illum, qui natiuitate prior est, primogenitum haberi, ita tamen, vt non sufficiat emissio cruris vel brachii, nisi totum corpus nascatur. TIRAQV. *de iure primogeniturae qu. 1. num. 8.* Confirmat illud ipsum scriptura sacra, exemplum Serah & Perez, qui ex Thamar nati fuerunt gemelli. Primum enim manum porrigentem filo coccineo notauit obstetrix, eius tamen manu retracta, alter Perez natiuitatem anteuertens, primogenitus factus. Genes. 38. *vers. 28.*

§. IX. Natura equidem fert, vnum post alterum exire, cum simul vno impetu duo infantes de utero matris non excedant. *l. 15. ff. de stat. hom.* Obstetricum vero incuria nonnunquam fit, vt ignoretur plane, vter ex gemellis prior, vter posterior sit. Imo saepius hoc incertum esse, nec per subtilitatem iudicalem manifestari posse, ipse agnoscit VLBIANVS *l. 10. §. 1. ff. de reb. dub.* Plures hac in re,

C

si du-

si dubium oriatur, proponuntur a variis decisiones, quos breuiter percurramus. Et quidem, si masculus, & foemina simul vno partu editi sint, masculus, vt robustior, prior ex carcere materno exiisse praesumitur. *d. l. 10. §. 1. PACIAN. d. probat. l. 2. cap. 11. num. 11. seq.* Quod si vero ambo sint masculi, itidem ex coniecturis quaestionem decidi debere consentiunt, & quidem primogenitum nonnulli praesumunt eum, qui robustior est, vel qui formosior. *BERLICH. part. 3. concl. 21. num. 42. & seqq. BRUNNEM. ad l. 10. ff. de reb. dub.* Quam sententiam adprobat *PAVL. ZACH. quaest. medico-legal. lib. 9. tit. 12. quaest. 5.* quantum ad robustiorem, idque per rationes ante allegatas, cum is, qui fortior est, & prius concipiatur & prius exeat. Formositatem autem nihil communicare posse, ait, foetui, ob quod ita ortum acceleret, vt alterum gemellum in nascendo praueuiat: Bene tamen distinguendum dicit Zachias, inter quaestionem de regnis & principatibus, & quaestionem de iuribus priuatorum. Illam enim ex iure gentium, hanc ex ciuili esse decidendam. Quare cum iure naturae non sufficiant coniecturae ad causarum decisiones, neque inde ius constituatur, sed ex iis demum, quae certa & probata sunt; hinc coniecturam, quod is dicendus sit primogenitus, qui robustior, non putat sufficere. Atque hinc alias decisiones Icti habent, & quidem latius hanc quaestionem examinat *ANDREAS TIRAQUELLVS*, triginta & liberorum & liberorum parens, *de iure primogenitorum quaest. 17.* qui praeter iam enumeratas, alias opiniones adfert, quas breuiter hic adducemus. Primo dicit, quod quando res commode possit diuidi,

diuidi, vterque succedat: fin diuidi nequeat, iudicio  
 fortis rem esse dirimendam. Alteram refert ex  
 BALDO *prooemio ff. §. itaque. col. 2.* vtrumque nimirum  
 debere succedere, ratione addita, quod sicut gemini  
 in coelo, ita etiam in terra sint; hinc pares esse in  
 iure, qui fuerunt pares in nascendi aequalitate, *per  
 gl. in l. Arscusa. 15. ff. de stat. hom.* nec de iure naturali  
 vel diuino requiri, vt regnum aliquod per vnum  
 regatur. Sed & tunc de nouo quaestionem oriri  
 dicit, quis in scriptis eorum prior sit nominandus,  
 de quo etiam TIRAQV. *quaest. 19.* agit. Tertiam  
 habet Imola, neutrum admitti, quia regnum diuidi  
 nequit; huic tamen opinioni occurrunt alii, dicen-  
 tes, licet regnum sit indiuiduum, ex eo tamen non  
 sequi, quod non possunt duo fratres simul succe-  
 dere: bene vero sequi, quod ambo in solidum sint  
 reges, quia ius indiuiduum, siue sit iurisdictio, siue  
 aliud quidquam, competit pluribus in solidum,  
 etiam si competat iure haereditario *l. 2. §. 2. §. 6. ff.  
 de V. O.* Quare non esse absurdum dicunt, quod  
 etiam in summo principatu temporali sint duo prin-  
 cipes in solidum; Ergo licet magis conueniat ex-  
 pediatque reipublicae, vnicum esse principem, to-  
 lerari tamen posse istum concursum principatus.  
 Quarto dicunt, patrem eligere posse eum, quem  
 veller, vt primogenitum succedere. Quintam ad-  
 ducunt, vtrumque quidem posse succedere, ita  
 tamen vt non ambo simul imperent, sed alternis  
 annis. Sexto eum potiozem dicunt, qui possidet.  
 Septimo locum gratificationi esse inquit populo,  
 vt liberum sit, quem is ex gemellis velit eligere.

*arg. l. si quis a filio. §. 1. ff. de legat. 1.* Octavo, dari quoque locum gratificationi superioris putant, & quidem teneri dominum gratificari honestiori. Nono, quod pater possit eligere, & quidem iuxta supra adductas iam dum tres opiniones, vel robustiorem, vel formosiore esse eligendum, vel sortis iudicio rem dirimendam. Has duodecim opiniones singulas deinde ad latum examinat Tiracquellus, rationibus in hanc & illam partem adductis, quo nos referre liceat.

§. X. Inter tot igitur Doctorum opiniones, qui saepe sibi ipsis non constant, arduum erit eligere, quae sit optima; non tamen negamus, modum maxime naturalem esse, si modo res, in quam succeditur, id patiatur, ambos simul succedere. Quod si vero id non patiatur, atque omnis praesumptio cesset, tunc omnino sortis iudicio rem esse dirimendam, pronuntiat DAN. MOLLERVS *ad Const. Sax. part. 3. cap. 15. num. 7.* Videmus ita quoque decisum in dicafterio Ienensi, uti habetur apud perillustrem LYNCKERVM *cent. 8. decis. 781.* Metellus namque, nobilis quidam haeredem in praediis suis scripserat sororem vnicam, Camillam, ea conditione, ut primogenitus ex ea natus in praedio F., secundogenitus in praedio Z. succederet. Soror vero Camilla cum praeter spem mature nimis in itinere gemellos esset enixa, a mulieribus autem paganis, qui aderant partui, obseruatum non esset, primogenitus, quaerebatur, quid hac in parte iuris? atque fuit pronunciatum: *Wiewol num in Zweifel einige den Stärcksten, wieder andere den Klügghen mit der Zeit vor den primogenitum*

tum gehalten haben wollen. So wird doch solches flüchtiger aufs Loos gestellet, und ist denen Eltern unbenommen, demjenigen, welchem das Loos abfällt, und doch etwa der Erstgebohrne gewesen seyn mag, in andere Wege sein Vermögen zu ergrössern. Multis rationibus hanc controuersiam fortis iudicio esse dirimendam, confirmat Tiraquellus, & quidem eo, quod omnia iura dicant, rem dubiam sorti esse committendam *l. 14. ff. de iudic. l. 5. ff. fam. erisc.* ibique ex omni historia plura exempla adducit.

§. XI. Sunt tamen, qui nihil certi definiri posse putent, illum modum praestantissimum habentes, quem iudex, omnibus circumstantiis probe expensis, de sententia prudentum adhibuerit. Quam sententiam fouet B. SCHVVBARTVS *Dissertat. de statu liberorum dubio & illegitimo. §. 38.* Ast decisio- nem solum arbitrio iudicis relinquere, res periculosa est, nisi is certa norma atque cynosura vtatur. Quare vel ambos esse admittendos, vel si ratio illud non finat, sorte rem esse dirimendam putamus, vti superius fuit dictum, vtrumque tam in priuatorum, quam principum successione locum habere putantes. vid. DIETERICH, ad *Aur. Bull. tit. 7.* RYMELIN, ad *Aur. Bull. dissert. 6. thes. 8.*

§. XII. Nec tamen status gemellorum certus, tam in causis civilibus quam criminalibus, omni caret dubio. Patri sane concessum esse, filiis suis etiam nondum natis tutorem constituere, certum est, vt nimirum is, qui perfectae aetatis non est, alterius tutela regatur §. 6. *Instit. de Atil. tut.* atque tam persona honeste educetur, quam bona per con-

sequentiam legitimam habeant defensorem *l. 12. §. 3. ff. de admin. & pericl. tut.* Atque hinc, si pater posthumo tutorem dederit, omnibus natis per eum consulere voluisse putandum est, licet venter duos vel tres natos simul emittat, *arg. l. si quis ita §. 1. ff. de testam. tut.* Prisci enim libero ventri ita prospexerunt, ut in tempus nascendi omnia & iura integra seruarent, quoties de comodo ipsius partus quaeritur, maxime in iure hereditatum *l. 7. §. 26. pr. ff. de stat. hom. l. 30. §. 1. ff. de acquir. vel omitt. hered. l. 23. ff. de V. S. cum illi iam mortis tempore intelligantur adfuisse l. 153. ff. de V. S. l. 2. §. 6. ff. de Excus. & credatur paterfamilias sponte sua legitimam hereditatem iis reliquisse *l. 8. §. 1. ff. d. J. Cod.**

§. XIII. Quae vero portio in suspenso esse debeat, si mulier praegrans relicta sit? haud sine causa quaesitum fuit, quia constare non poterat, quoniam liberos mulier esset paritura: tergeminos enim Horatios apud Romanos editos fuisse, obseruat PAVLVS in *l. 3. ff. si pars her. pet.* In dubiis igitur hereditatum euentibus, ex mente iuris auctorum, attendimus tergeminarum parturitionem, per verba legis: *Quid est ergo? prudentissime iuris auctores medietatem quandam secuti sunt, ut, quod fieri non rarum admodum potest, intuerentur, id est, quia fieri poterat, ut tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio assignauerint.* Scilicet, quia euenire posset, ut tergemini nascerentur, mulier praegrans ita habeatur, quasi ternos paritura esset, & venter mulieris grauidae pro tribus personis computetur, adeoque coheres interim solam quartam partem petere potest,



potest; cui si pauciores fuerunt nati, residuum accrescit, si plures quam tres, de ea parte tantum, quantum ultra natis competit, decrescit: *l. 3. §. 4. eod. l. 36. ff. de solut. Dn. STRUV. Syst. Juris Civ. Exercitat. X. c. 24.* Atque hinc eadem spe multiplicis foetus, filius superstes pro quarta tantum convenire & conveniri potest, quamvis postea vnus tantum filius natus fuerit. *l. sed & si restituatur. 28. §. f. ff. de iudic.*

§. XIV. ALPHONSVS quidem a CARANZA *Tract. de part. natur. §. legic. cap. 18. num. 6.* contrarium tenet, atque sibi displicere dicit hinc Pauli sententiam, quartam nimirum partem in suspenso esse relinquendam, inanibusque eum mediis vti ad suam adstruendam sententiam, scribit: Neque PAULI rationem, qua iuris auctores prudentissime medietatem secuti, quartam partem idco superstiti assignarunt, *ut quod fieri non raro admodum potest*, sufficere putat, cum certo certius sit, frequentius reperiri vniparas mulieres, & rarissime tergemini eodem partu fuerint editi. Legislatores autem non obseruare quod semel aut bis existit & raro fit, sed ad id respicere, quod fit plerumque. *l. 3. ff. de leg. l. 64. ff. de diuers. reg. iur. Nou. 94. cap. 2.* Quin & PAUL. ZACH. *lib. 1. tit. 2. quæst. 8. num. 10.* hanc Pauli legem mediocritatem non obseruare ait, cum nimis excedat id, quod plurimum fieri contingit, satisque mediocritas seruata videatur, si Ictus geminos nasci posse sanciuisset, & iam natam ex tertia parte heredem fecisset. Deinde iniustam & a ratione deuiam Pauli sententiam exinde elici posse, ait

ait Caranza, quod superstes, qui semisse integro, eiusque fructibus ad alimenta indigeret, a matre vel auo interim; retento dodrante, pro muliere praegnante, alendus sit, quod sane perquam iniquum est. Verum ex ipsis verbis legis §. ff. si pars her. per. facile patebit, quid per medietatem intelligat Paulus. Quippe cum antea varias eorum traditiones, qui duos, tres, quatuor, quinque, imo septenos nasci posse putarunt, adduxerat, addit, se medietatem sequi velle, & cum non adeo rarum sit, tergeminos nasci, eo casum derigere. Nec obstare possunt alimenta interim ab auo praestanda, cum omnino parentes, si deficient bona liberorum, ad illa teneantur.

§. XV. Adducit tamen leges in contrarium Caranza, per quas probare contendit, Pauli sententiam esse improbandam & non dodrantem, sed semissem saltem pro nascituro esse referuandam. Et primo quidem prouocat ad *l. utrum. 7. ff. de reb. dub.* Verum ista lex PAULI sententiam clare confirmat, dicit enim: *si autem natus fuerit (posthumus,) utrosque accipere, quantum cuique relictum est, ut vno nato pars tibi dimidia debeatur: duobus natis, tertia tibi debeatur; tribus natis, quia trigemini quoque nascuntur, quarta debeatur.* Imo ipsa haec lex rationem addit, cur nihil ultra tergeminos fuerit constitutum, cum scil. id, quod ultra tres nascitur, fere portentosum videatur. Quid clarius cum lege Pauli concordat? Deinde adducit *l. 2. §. f. ff. si pars her. per.* Verum illa lex plane nullam partem determinat, sed tantum dicit, interdum praetorem incertae partis hereditatis

tatis petitionem indulgere. Incerta omnino pars est, quia, vti ipse Vlpianus rationem addit, quot edantur filii, incertum est. Neque contrariatur l. 3. §. 10. ff. de suis & legit. hered. cum loquatur de tali casu, quo mulier, quae se praegnantem dicit, praegnans non est, ideoque superstes ex asse haeres erit, ita vt integram hereditatem ad heredem suum possit transmittere. *Vnica lex. 30. §. 6. ff. de acqu. vel omittend. hered.* dubium mouere potest: dicit enim Ictus: *sicuti cum vacuo vtero suis ex asse haeres est, ita & cum vnum gerit, nec per naturam humanae conditionis alium partum formare potest, (quod quidem post certum tempus conceptionis eueniet) ex parte dimidia & ignorantem fore heredem, non ex quarta, vt Iulianus putat.* Sed si bene verba legis perpendimus, nec contrarietatis quidpiam erit reliquum. Primo namque dicit, si mulier falso se dixerit praegnantem, superstitem heredem ex asse esse. Deinde poni casum, quo mulier vnum partum gerit & vnus tantum posthumus nascitur; atque tum decidit, superstitem esse heredem ex parte dimidia. Non igitur de eo casu hic agitur, quotnam partes hereditatis in suspenso manere debeant? sed de eo saltem, ex qua parte superstes fiat heres; ideoque Paulus & Vlpianus sibi non contradicunt.

§. XVI. Tres igitur partes ventri assignantur, quoties incertum, quot nascituri sint. Vbi vero naturae sufficit certitudo, ibi certum quoque iudici esse debet. Ventre autem in lucem emissio, si pauciores fuerint nati, residuum adcrefcit superstiti; sin plures quam tres, de ea parte tantum,

D

quantum

quantum ultra natis competit, decrefcit. *l. 4. ff. ff. pars her. pet.* HILLIGER. ad DONELL. Dn. STRUV. *Syntagm. Iuris Ciu. Exerc. X. thef. 74.* Putat quidem SIMON a GROENEWEGEN *ad l. 28. §. ult. ff. de iudic.* quoniam in hisce regionibus raro gemini, rarius tres vno partu nascantur, & ad ea potius debeat adaptari ius, quae & frequenter & facile, quam quae perraro & ex inopinato eueniunt, ideo superstitem filium interim, dum partus adhuc incertus est, ex parte dimidia magis fore heredem. Quod etiam Gallorum moribus esse receptum, testatur Autumnus in sua censura ad illam legem. Addit tamen Groenevegen, satius esse atque humanius, in tempus nascendi omnia iura integra referuari, atque interim ventri curatorem dari. Id quod etiam hodiernis moribus seruat.

§. XVII. Apud Romanos nota erat lex Papia Poppaea, quae sub Augusto ad coelibes coërcendos & augendum aerarium fuerat sancita. Et hac quidem lege variae poenae statutae erant orbis, a quibus vt immunes essent illi, qui vxores quidem habebant, sed nullos liberos procreauerant, petebant ius liberorum. Praecipue vero ius trium liberorum ad commoda ex S<sup>C</sup>to Tertulliano percipienda multum conducebat, cum ingenua trium liberorum ius habens, libertina quatuor, ad bona filiorum filiarumue intestato mortuorum admitteretur §. 2. *Inst. de S<sup>C</sup>to Tertull.* Hae autem ius trium liberorum adipiscebantur, quae trigeminos pepererant, prout habetur. *l. 137. ff. de V. S.* quae ex PAVLI *lib. 2.* ad legem Papiam, Poppaeam desumta est.

Verum

Verum contradicit sibi PAVLVS *lib. 4. sent. tit. 9. §. 2.* vbi ait: *quae semel vno partu tres filios edidit, ins liberorum non consequitur: non enim ter peperisse, sed semel partum fudisse dicitur, nisi forte per intervalla pariat.* Quem textum licet conciliare conentur alii, dicentes, alium esse casum, vbi mulier vno impetu trigeminos ediderit; alium, vbi per intervalla eos fuderit, & posteriori casu certum vtique esse, eam ad omnia commoda iuri trium liberorum praescripta esse admittendam, quia totidem liberorum fiat parens, quot successuri sunt partus *l. 15. ff. de stat. hom. secus in priori, quia cum vna tantum sit parturitio, matri ad commoda S<sup>C</sup>ti Tertulliani ea prodesse non possit.* Potius tamen est, vt cum ALPH. a CARANZA *cap. 18. §. 41.* faciamus, dicentes, trigeminos, quocunque modo nati sint, matri omnino ad successionem ex S<sup>C</sup>to Tertulliano prodesse, cum verum sit, eam tres filios edidisse & peperisse, eorumque matrem veram esse, id quod ex Tertull. S<sup>C</sup>to tantum requirebatur *l. 2. ff. ad S<sup>C</sup>t. Terrull.* Atque hoc non tantum valere, ait, ad vitandas poenas & odia legis Iuliae & Papiae, sed etiam in omni alio casu odioso vel fauorabili, siue de damno vitando siue de lucro captando agatur, cum vxor sic vere & proprie tres liberos peperisse dicatur.

§. XVIII. Antiquitus posthumos vel heredes instituere vel exheredare necessum erat; si tamen sub conditione exheredatio erat facta, pendente conditione venter nihilominus in possessionem mittebatur *l. 1. §. quare. ff. de ventre in possess. mitt.* vbi exheredatio ita concepta legitur: *si mibi*

D 2

filius

*filius vnus nasceretur, exheres esto. Quid autem, si plures nascantur? Respondet VLPIANVS dict. loc. Quia filia nasci potest, vel plures filii, vel filius & filia, venter in possessionem mitteretur. Satius est enim, sub incerto eius, qui edetur, ali etiam eum, qui exheredatus sit, quam eum, qui non sit exheredatus, fame necari: ratumque esse debet, quod deminutum est, quamuis is nascatur, qui repellitur; Duobus itaque pluribusue simul natis, neuter exheredationis formulae subiacebit. CARANZ. cap. 18. num. 36. quoniam exheredatio non nisi in eo, qui solus nascitur, locum habere potest, magis enim fauendum liberis, quam testamento. DEC. in l. posthumo C. de bon. poss. contr. tab. Quid vero si testator posthumo legauerit, & plures nascantur? v. gr. si ita in testamento scriptum fuerit: si quis filius mihi nascitur, et heres meus centum dato; Respondet ICTUS: duobus posthumis natis singuli habebunt centum l. 17. §. 1. ff. de legat. 1. Quare etiam si filiabus relictum fuerit legatum, sensisse videtur testator etiam de posthumis. l. 17. pr. ff. eod. Maxime vero in libertate humaniorem amplecti sententiam par est, siue vnus facta fuerit mentio, siue plurium, cum omnes aequae ad libertatem a primis cunabulis vocentur. l. 14. C. de fideicomm. libert.*

§. XIX. Alia quaestio mouetur, si testator scripserit: si post mortem meam vxor filium pepererit, filius ex bese, vxor ex triente heres esto; si vero filia nata sit, filia ex triente, vxor ex bese heres esto: Nati autem fuerint gemelli filius & filia, annon ruptum sit testamentum? quia testator in eum casum, si filium & filiam pepererit, non videtur cauisse. Ast verò, cum

cum

cum vtriusque & filii & filiae in testamento mentio fuerit facta, duplex inde orietur ius. Quare res ita fuit decisa per *l. si ita scriptum. 13. ff. de liber. & postb. videlicet, aſſem distribuendum eſſe in ſeptem partes, vt ex his filius quatuor, vxor duas, filia vnam partem habeat: ita enim ſecundum voluntatem teſtantis filius altero tanto amplius habebit quam vxor: item vxor altero tanto amplius quam filia. Licet enim ſubtili iuris regulae conueniebat, ruptum fieri teſtamentum, attamen cum ex vtroque nato teſtator voluerit vxorem aliquid habere, ideo ad huiusmodi ſententiam, humanitate ſuggerente, decuſum eſt; quod etiam Iuuentio Celſo apertiffime placuit. Eandem fere computationem ſequitur PAVLVS in *l. Clemens Patronus. 81. ff. de hered. inſtitut.* ita ſcribens: Clemens Patronus teſtamento curauerat, vt ſi ſibi filius natus fuiſſet, haeres eſſet: ſi duo filii ex aequis partibus heredes eſſent: ſi duae filiae, ſimiliter: ſi filius & filia, filio duas partes, filiae tertiam dederat: Duobus filius & filia natis, quacrebatur, quemadmodum in propoſita ſpecie partes faciemus: cum filii debeant pares eſſe, vel etiam ſinguli duplo plus quam ſoror accipere? Quinque igitur fieri partes oportet, vt ex his binas maſculi, vnam foemina accipiat.*

§. XX. Vnicum adhuc de gemellis circa *L. Aquiliam* notari meretur, nimirum: ſi ex gemellis, aut pari mularum vel equorum vnum fuerit occiſum, non ſolum preſumpti corporis aeſtimationem faciendam eſſe, ſed & eius rationem haberi debere, quo caetera corpora depretiata ſunt. *l. 22. ff. ad Leg. Aquil.* idque tam ratione damni emergentis quam lucri ceſſantis, modo vtilitas circa rem ipſam conſiſtat.

sistat. Neque enim affectionis solius ratio in aestimatione habenda est, cum pretia rerum non affectione, nec utilitate singulorum, sed communiter fungantur. *l. 33. ff. ad L. Aquil. l. 63. ff. ad L. Falcid. nisi dolus aut culpa singularis aduersarii intercedat, tum enim determinatio eius, quod interest, neque ad duplum restringitur, neque ad utilitatem circa rem proximam respicitur. l. 13. pr. ff. de act. emt. l. 6. §. 4. eod. l. 19. §. 1. ff. locat. Dn. STRUV. Synt. Iuris Civil. Exercit. 44. thes. s. num. 4.* Quin & tunc aestimationem per iuramentum in litem affectionis fieri posse, non dubitamus, per *l. 1. l. 2. §. 1. seqq. ff. d. iuram. in lit. l. 68. ff. d. R. V.*

## CAPVT III.

## DE

PARTV GEMELLORVM  
CAESAREO.

## §. I.

**I**nter Gemellorum affinia refero Exsectos ungerbohrne Kinder. SCHILTER. *Manuduct. Philosopb. moralis cap. 4. §. 48.* item Ausschnitlinge. BESOLD. *in thesaur. pract. & SPEIDEL. specul. iurid. polit. verb. exsecti.* Qui magis hominum, quam naturae ope lucem adspiciunt, cum & PAVLVS ICTUS dicat in *l. anniculus. 132. ff. de V. S. falsum esse, eam peperisse, cui mortuae filius exsectus est. j. l. si ergo. §. partus ancillae, ff. de publ. in rem. act.* quoniam mater in extractione foetus per sectionem haud ita operatur, ac si κατὰ φύσιν partum

ab



ab utero excludat. Natura enim non fecus generatione partus monstrosi vel abortus deficit vel deuiat, quam si vel matris vel partus desideretur conatus. Quod si enim matris uterus sectione fuerit caesus, talis partus exsectus ex censu naturalium videtur excludi, cum contra naturam insolita & inconsueta via exire cogatur. Hinc neque nati aut partus nomen huic aptari posse, vbi exitus omnem matris & foetus excludit actionem, ita, vt mulier vix obtineat legatum, sub conditione, *si pepererit* relictum, statuit IACOB RIGOS in *dict. loc. 132.* Imo matrem abortum fecisse, quando foetum praeter naturae ordinem emittit, affirmat IOANNES GVTIEREZ. *lib. 2. pract. quaest. qu. 101. num. 3.* confer ALPH. a CARANZ. *cap. 6. de gener. part. rat.*

§. II. Alia tamen est ratio foetus abortiui, vt pote qui arguit imperfectionem, vt viuere non possit, cum desit debita maturitas & perfectio ad exercendas actiones vitales, quam partus exsecti, cum hic sit perfectus & ad partes vitales obeundas idoneus. Quare is etiam pro legitimo habendus, licet per horam vel momentum tantum vixerit, non fecus enim ac vere natus pro vitali habetur, & successionis est capax. CARANZ. *cap. 2. §. 4. num. 58. & cap. 6. sect. 1. num. 17.* Nec tamen foetus septimestris ex utero matris exsectus pro vitali est habendus, vt alii septimestres sponte & ex naturae instinctu nati, cum foetus talis sua natura debilis & imperfectus tantum vigoris habere non possit, vt mortua matre a caeso matris utero extractus transpirare

spirare amplius per se possit. PAUL. ZACH. *quaest. medico-legal. tit. 2. num. 8. & seqq.*

§. III. Neque simul cum matre foetus maturus atque perfectus in vtero existens emoritur, quin potius spiritus per respirationem iam in foetum transmissi, cessante licet vltiori influxu, iam in ipso foetu agunt, ita vt is exsecto ventre saluari possit atque pro vitali haberi, in ordine ad rumpendum testamentum. *l. 6. pr. ff. de inoffic. testam. l. 12 ff. de lib. & postb.* nec non ad legitimam matris hereditatem acquirendam, tam secundum tabb. quam ab intestato, ex titulo: *unde Cognati*, multoque magis *unde legitimi l. 1. §. si qua praegnans. ff. unde cognat.* dummodo a matris excessu illico venter aperiatur, quo foetus libere respirare possit, ita vt in omnibus, exciso licet matris vtero, aequiparetur infanti naturaliter nato, eademque in vtrouis militet ratio: obtento enim effectu non curamus de modo *arg. l. si mater. 3. C. de instit. & substit.* Atque ita BALDVS, antiquus iuris interpres, ad *l. vlt. C. de suis & legit. hered. in emphyteusi* pro se & liberis nascituris relicta, consuluisse fatetur: ac in *feudo IACOBVS ARDIZI in rubrica tituli de successione feudi* idem statuit. Conf. CVRTIVS Iunior in *tract. feudorum. 2. par. qu. 14. n. 36.* Et hac ratione purificata censetur conditio in filio, exsecto ventre edito, quando sub hac formula mulieri in testamento aliquid fuerit relictum: *si tempore suae mortis filium habuerit*: quoniam etiam ea mulier, cum moreretur, creditur filium habere, quae exciso vtero edere potest. *l. 141. ff. de V. S.*

§. IX. Duobus vero masculis aperto matris utero simul editis, controuersia ratione primogeniturae vel maioratus oriri & disquiri potest, an in his eadem ratio ac in vere natis locum habeat? BALDVS sane in *prooemio ff.* vtrumque in regno vel principatu admittit, cum certum sit, quod caeso utero materno omnes simul, & nullus eorum ante natus fuerit, licet voluntate extrahentis alter alterum praeuenerit, ne scilicet contra naturam foetui iniuria inferatur. ZACHIAS quoque *quaest. medico-legal. lib. 9. tit. 12. quaest. 6. num. 12.* regulariter gemellos, qui ex utero matris exempti, reuera simul editos, censendos esse putat, quia aperto utero simul in lucem perueniunt, etiam forte separatio partium a corpore materno serius in altero fiat: id enim dependere a sola voluntate Chirurghi, non a casu, uti tunc, quando non secto ventre, sed loco consueto extrahitur is, qui prior in manus incidit. Haud tamen inane esse dicit laudatus autor, si in hoc etiam casu coniecturis & praesumptionibus locus detur, ex quibus habeatur primogenitus, non qui prior sectus est, sed qui primo nasci debuisset. Illas autem ex maiori viuacitate, fortitudine & meliori corporis structura vnus, in comparatione ad alium, posse elici. Quidquid tamen sit, in exactis eadem videtur adesse ratio, ac in gemellis naturaliter editis, de quibus dubium est, quis prior vel posterior natus, maxime cum hoc in iisdem a voluntate Chirurghi dependeat. De illis autem in superioribus dictum, non tam coniecturis & praesumptionibus

E

sumtio-

functionibus esse locum, quam potius vel utrosque esse admittendos, vel fortis iudicio rem dirimendam, quare etiam eadem hic erunt applicanda.

## CAPVT IV.

## DE

GEMELLIS IN VTERO  
MORTVIS.

## §. I.

**A**ccidit nonnunquam, vt Gemelli in vtero mortis expirent, nec viui in lucem exeant, de quibus idem iuris est, quod de alia prole simplici ante natiuitatem extincta. Fauorabilior nimirum saepe numero est causa partus nondum editi, quam pueri iam nati, idque effato *VLPIANI* in *l. 1. §. & generaliter. ff. de ventr. in poss. mitt.* ibi: *partui in hoc fauetur, vt in lucem producatur: puero, vt in familiam inducatur.* Partus namque propter spem nascendi per fictionem non minus pro filio habetur ac iam natus. Quare etiam leges foetum in vtero inclusum hominibus adnumerare maluerunt, vt iura istis seruentur integra, si postea nasci eos contingerit. *l. 26. pr. ff. de stat. hom.* Neque dissimilem lex municipalis patitur interpretationem, quo minus in statuto de surrogando proximior in locum Decurionis demortui, relicto fratre & filia praegnante, proximior in vtero existens praeferatur. *ALPHONS. a CARANZA cap. 2. §. 4. num. 47.* Mortis enim tempore

pore in causa fauorabili intelligendus est adfuisse, qui in utero relictus est. *l. 153. ff. de V. S.* dummodo postea viuus natus fuerit. Quoties vero fictionis inducendae causa cessat, nec ratio superest, propter quam haberi debeat pro aliquando concepto, utpote si in utero fuerit demortuus, tunc omnia cessant. *l. 15. is, cui ita. 18. ff. quando dies legat.*

§. II. Morte enim filii gemellorumue in utero infecuta, mortua est vis ac obligatio legis: cum iura ita sint accipienda, ut in utero existens habeatur pro nato, si postea reuera editus fuerit. *l. vlt. C. de postb. hered. instit. l. 1. §. si quis proximior. ff. unde cognati.* BALDVIN. in not. ad tit. ff. de stat. hom. Aliter pro homine haud erit reputandus, nisi forma specifica & informans coniungatur materiae corporeae, iuxta tradita per Canonistas per *textum in cap. in quadam. 8. de celebr. Missar.* nec in vniuersum legibus subesse poterit partus, si forte mortuus ex utero materno extrahatur, cum omne ius comparatum sit hominis causa. *l. 2. ff. de stat. hom. §. fin. Inst. de iure Nat. Gent. & C.* Ut hinc colligere liceat, praeteritione posthumi non ruptum fieri testamentum, si tractu temporis viuus non processerit, vel formam sui generis non habuerit. *l. penult. C. de postb. her. instit. l. 129. ff. de V. S.* Si enim mater abortum fecerit vel monstrum ediderit, non solum non retroingimus natum antea fuisse, sed ne conceptum quidem, licet reuera adfuerit conceptio. ALPH. a CARANZ. *cap. 2. §. 4. num. 49.* Neque huic

asserto contrariatur VLPPIANVS in l. 135. ff. de V. S. iuxta quam mulier capit legatum sub conditione relictum, si pariat, etiamsi portentosum vel monstrosum vel debile ediderit, vel quale visu vel vagitu nouum, non humanae figurae, sed alterius magis animalis partum. Ictus enim id tantummodo respicit, quod mulier pepererit, nec illud ei imputetur, quod non fuit in eius potestate. j. l. 3. C. de inoffic. testam.

§. III. In quibusvis itaque priuilegijs tacita conditio censetur adiecta: si natus fuerit, cum negata causa tollatur omnis effectus, ita vt contrario conditionis euentu infecuto, nullus amplius superfit fauor ventris: quia non entis nullae sunt qualitates: Neque etiam resp. mortuis defenditur, neque horum progenie amplificatur, cum paria sint non nasci, vel mortuum editum fuisse partum. In dubio vero semper viuus praesumitur natus, si debito tempore & modo naturali fuerit editus, nec quidpiam monstriosi vel prodigiosi prae se ferat. Hinc summo simul verborum compendio inferimus, talem partum, qui mortuus editur, nec suum esse, nec legitimam illi deberi, nec pupillum dici posse, imo nec hominem; in fauorem tamen libertatis talem etiam inter natos numerari, patet ex l. Aretusa. ff. de statu hom. Quid si vero partus nascatur viuus, ita tamen constitutus, vt secundum naturam viuere ne possit? nihilo fecius erit legitimus atque successionis capax, iuxta CARPZ. part. 3. cap. 17. des. 18. cum nihil intersit, perfecte & iusto tempore

tempore, an vero imperfectus edatur partus, si modo vita ex vagitu vel corporis motu sit manifesta. *l. quod dicitur in fin. ff. de liber. & postb. j. l. 3. C. de postb. & her. instit.* respondentibus ita Dnn. Lipsienf. Ob nun wol solches Kind nicht zeitig gewesen, und die Mutter mit demselben länger nicht, denn in sechsten Monath schwanger gangen, dieweil aber dennoch be- niemtes Kind gelebet, und, eurem Bericht nach, vor seinem Vosterben etliche Seufzerlein gethan, *x.* So ist auch sein zuvor verstorbenen Vaters und Groß- Vaters Erbschaft auf dasselbige Kind kommen, *x.*  
D. R. B.

§. IV. Quod si forte infans in ipso partu ex- spiret, antequam edatur? Nec tum pro viuo ha- bebitur, licet capite vel medio forsan corpore fuerit egressus, *ALCIATVS in l. 129. ff. de V. S.* Neque enim egrediens in utero materno haerentibus dici po- terit, eos absolutam & perfectam habere natiuita- tem, ita vt tanquam legitimi succedere vel testa- mentum paternum possint rumpere; quemadmo- dum pronunciarunt Dnn. Scab. Lips. Ist N. ver- storben, und hat nach sich sein Weib, eure Pflege-Frau schwangern Leibes an einem, und seinen Bruder Chri- stoph N. an andern Theil nach sich verlassen: Ob nun wol gedachtes Hans N. Witbe in der neunten Woche nach ihres Mannes Tode zur Geburth gearbeitet. Dieweil ihr aber dennoch selbst berichtet, daß das Kind in der Geburth verstorben, und also nicht lebendig, son- dern todt zur Welt kommen, *x.* so hat es auch auf be- melte Wittib, als seine Mutter, einige Erbschaft nicht  
E 3 bringen

bringen noch verfallen können. **D. R. W.** Num vero liberi sacri baptismatis, imminente mortis periculo sint participes, si caput tanquam omnium sensuum atque virium habitaculum, extra vterum appareat? iusta videtur subesse dubitandi causa. Nihilo vero secius verbo diuino magis conuenit totalis egressio, ita vt, antequam integer edatur partus, sacro fonte non lauetur. *DEDEK. consil. theol. V. l. 2. de bapt.* Ita enim variarum Ecclesiarum constitutionibus sancitum legimus, inprimis in Electoratu Saxon. *artic. gener. lib. 6. cap.* Von der Noth-Tauff, ibi: demnach denn die heilige Tauffe ein Sacrament der Wieder-Geburth ist, erfordert dieses Sacrament, daß das Kind, so das Sacrament der Wieder-Geburth empfangen soll, zuvor an die Welt geböhren sey. Eadem fere verba leguntur in *Ordin. Eccles. Vmariens. cap. 12.* Circa sepulturam vero id obseruatur, vt, si foetus forte vnum vel alterum menssem attigerit, non caedem ac alias moris est, adhibeantur ceremoniae.

§. V. Ratione successionis igitur partus, antequam edatur, plane nulla habetur ratio: siue per infirmitatem naturalem, siue vi extrinsecus adiecta, vtpote *vterum manibus comprimendo, vel lapide aut ligno percutiendo, aut fortiter cingendo, vel se in terram proiciendo, aut de loco altiori in terram praecipitando* fuerit occisus. Quam vero nefandum hoc sit scelus, vel constituta in illud poena eiusque grauitas euincit, vid. fusius illustris **Dn. PRAESES** in *disput. de iure Embryonum cap. 4.* vix tamen, in nuptis maxime, & bonae famae vxoribus violentia praesumitur, cum foetus



foetus in matris utero non minus quam extra illum variis affectibus exponatur, quamuis in meretriculis consultius Petri Gregorii monitum, dum ad finem lib. 4. de republica cap. 1. ita ait: *Non debet praetermittere Rector reipublicae curam inquirendi de pregnantium mulierum utero, ne incuria hac tuti illegitime concumbentes metu infamiae partus intercipient, suffocent aut perdant. Et si quas ad hanc impietatem peruenisse detexerit, exemplari poena debet punire, ut aliae abstineant: & ne piacula homicidiorum infantium committantur. Ex quibus non tantum subtrahitur persona reipublicae, sed & saepe anima ipsa coelo, dum sine baptismo animati partus suffocantur & ita vita aeterna eis cum vita temporali adimitur.*

Hic terminus esto atque erratorum venia.

DEO SIT LAUS, HONOR ET  
GLORIA.



De


**D**er Fleiß würckt Fähigkeit; die Fähigkeit schafft  
Ehre,  
Womit Astræus Hand geschickten Söhnen  
lohnt,

In deren treuer Brust die wahre Weisheit wohnt,  
Indem sie angefüllt mit heyl'ger Rechte Lehre.  
Er kann, geehrter Freund, davon ein Zeugniß geben,  
Den Themis diesen Tag mit ihrem Purpur ziert,  
Wie Fleiß die Fähigkeit; und der die Ehr gebührt,  
In der Er nun hinfort wird hoch vergnüget leben,  
Das werthe Vater-Land wird dessen sich erfreuen,  
Es hoffet manchen Dienst von seinem klugen Rath,  
Er wird die Hoffnung auch vergnügen in der That,  
Drum wünsch ich Glück dazu und vieles Wolgedeyen.

Hierdurch wolte dem Herren DOCTORI,  
als seinem hochwerthen Freunde, bey  
würdig angenommenem Gradu seine  
Beyfreude contestiren

AVGVSTVS BOHSE,  
Lic.





ULB Halle

3

006 366 333



vol 18







*Pri. 24. num. 9.*  
*28*

CHRISTIANI WILDVOGELII, Icti,  
SERENISSIMI DVCIS SAXO-ISENACENSIS CON-  
SILIARII STATUS INTIMI, CVRIAE PROVINCIALIS ET  
SCABINATVS NEC NON FACVLTATIS IVRI-  
DICAE ASSESSORIS,

COMMENTATIO IVRIDICA

DE

IVRE  
GEMELLORVM,

*1703, 23<sup>le</sup>*

Vom

Rechte der Zwillinge.

*P. 231.*



I E N A E,  
LITTERIS IOH. CHRISTOPH. CROEKERI,  
1741.

